OFFICIUM DE SANCTISSIMO NOMINE B. MARIÆ VIRGINIS

A Sacra Rituum Congregatione recognitum & approbatum,

Et ab omnibus vtriusq; sexus Christi fidelibus tàm Secularibus, quàm Regularibus, qui ad Horas Canonicas tenentur, Dominica infra Octauam Natiuitatis B. M. V. sub ritu duplici maiori de præcepto recitandum.



ROMÆ, Typis Reu: Cameræ Apostolicæ, 1684.
deinde, GRAC: Ex Officina Schedeliana, S. R. M. Typ.

Die Dominica infra Oct. Natiu. B. M. V.
OFFICIVM DE SANCTISSIMO NOMINE B. MARIÆ VIRGINIS
DVPLEX MAIVS.

AD VESPERAS.

Ant: Dum esset Rex, *&c. cum reliq. Antiph. & Psal. vt in Officio paruo B. Mariæ.*

Capitulum.

Ab initio, &c.

Hymnus.

Aue Maris Stella, &c.

℣. Dignare me laudare te, Virgo sacrata.

℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Ant: Sancta Maria succurre miseris, iuua pusillanimes, refoue flebiles, ora pro populo, interueni pro Clero, intercede pro deuoto fœmineo sexu: Sentiant omnes tuum iuuamen, quicumque celebrant tui Sancti Nominis commemorationem.

Oratio.

Concede; quæsumus, Omnipotẽs Deus, vt fideles tui, qui sub Sanctissimæ Virginis Mariæ Nomine, & protectione lætantur: eius pia intercessione, à cũctis malis liberentur in terris, & ad gaudia æterna peruenire mereantur in cælis. Per Dominum, &c.

Ad Matut: Inuitator.

Sancta Maria Dei Genitrix Virgo * Intercede pro nobis.

Ps: Venite exultemus.

Hymnus.

Quẽ terra, pontus, &c.

Antiph. Ps: & ℣. Nocturnorum, vt in Officio paruo Beatæ Mariæ.

IN

IN I. NOCTVRNO

Lectiones. De parabolis Salomonis. Ego Sapientia, &c. *cum Responsorijs. vt in festo S. Mariæ ad Niues.*

IN II. NOCTVRNO.

Lectio jv.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis.

Ex hom. 2. supra missus est circa finem.

ET Nomen, inquit, Virginis MARIA. Loquamur pauca, & super hoc Nomine, quod interpretatum Maris Stella dicitur, & Matri Virgini valde conueniẽter aptatur. Ipsa namq; aptissimè sideri comparatur. Quia sicut sine sui corruptione sidus suum emittit radium, sic absque sui læsione Virgo parturiuit Filium. Nec sideri radius suam minuit claritatem, nec Virgini filius suam integritatem. Ipsa est igitur nobilis illa Stella ex Iacob orta, cuius radius vniuersum orbem illuminat; cui⁹ splendor & præfulget in supernis, & inferos penetrat, terras etiam perlustrans, & calefaciens magis mentes, quàm corpora, fouet virtutes, excoquit vitia. Ipsa, inquam, est præclara, & eximia Stella super hoc mare magnum, & spatiosum necessariò subleuata, micans meritis, illustrans exemplis. Tu autem, &c.

℟. Sicut cedrus exaltata sum in Libano, & sicut cypressus in mõte Sion: quasi myrrha electa * Dedi suauitatem odoris.

℣. Et sicut cinnamomum, & balsamum aromatizans. Dedi.

Lectio v.

O Quisquis te intelligis in huius seculi profluuio magis inter procellas, & tempestates fluctuare, quàm per terram ambulare: Ne auertas oculos à fulgore huius sideris, si nō vis obrui procellis. Si insurgant venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum, respice Stellā, voca Mariam. Si iactaris superbiæ vndis, si ambitionis, si detractionis, si æmulationis, respice Stellam, voca Mariam. Si iracundia, aut auaritia, aut carnis illecebra nauiculam concusserit mentis, respice ad Mariam. Si criminū immanitate turbatus, conscientiæ fæditate confusus, iudicij horrore perterritus, barathro incipias absorberi tristitiæ, desperationis abysso, cogita Mariam. Tu autem, &c.

℟. Quæ est ista, quæ processit sicut Sol, & formosa tanquam Ierusalem? * Viderunt eam filiæ Sion, & beatam dixerūt, & Reginæ laudauerunt eam. ℣. Et sicut dies verni circumdabāt eam flores rosarum, & lilia conuallium. Viderunt.

Lectio vj.

IN periculis, in angustijs, in rebus dubijs, Mariam cogita, Mariam inuoca. Non recedat ab ore, non recedat à corde, & vt impetres eius orationis suffragiū, non deseras cōuersationis exēplum. Ipsam sequēs non deuias; Ipsam rogans non desperas, Ipsam cogitās non erras; Ipsā tenente non corruis; Ipsâ protegē-

te

te nō metuis; Ipsa duce non fatigaris; Ipsâ propitiâ peruenis, & sic in temetipso experiris, quàm meritò dictum sit, Et Nomen Virginis Maria.

Quod quidem Venerabile Nomen, iampridem in quibusdā Christiani Orbis partibus speciali ritu cultum, Innocentius Vndecim⁹ Roman⁹ Pontifex, ob insignem victoriā sub eiusdem Virginis Mariæ præsidio de immanissimo Turcarū Tyranno ceruicibus Populi Christiani insultante Viennæ in Austria partam, & in perenne tanti beneficij monumentum, in Ecclesia vniuersali singulis annis Dominica infra Octauam Natiuitatis Beatæ Virginis Mariæ celebrari præcepit. Tu autem Domine, &c.

℟. Ornatam monilibus filiam Ierusalem Dominus cōcupiuit * Et videntes eam filiæ Sion, beatissimā prædicauerunt dicentes * Vnguentum effusum nomen tuum.

℣. Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. Et videntes. Gloria Patri. Vnguentum.

IN III NOCTVRNO.

Lectio sancti Euangelij secundùm Lucam.

Lectio vij.

IN illo tēpore: Missus est Angelus Gabriel à Deo in Ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginē desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph de domo Dauid, & nomē Virginis Maria.

Ex homilia Sancti Petri Chrysologi.

Serm. 142. de Annunciat.

AVdi-

AVdiſtis hodie, fratres chariſſimi, Angelum cum muliere de hominis reparatione tractantem. Audiſtis agi, vt homo curſibus eiſdem, quibus dilapſus fuerat ad mortẽ, rediret ad vitam. Agit, agit cum Maria Angelus de ſalute, quia cum Eua Angelus egerat de ruina. Audiſtis Angelum de carnis noſtræ limo Templũ Diuinæ Maieſtatis arte ineffabili conſtruentẽ. Audiſtis in terris Deum, in cælis hominem Sacramẽto incõprehenſibili collocari. Audiſtis inaudita ratione in vno corpore Deũ, hominemque miſceri. Audiſtis fragilem noſtræ carnis naturam ad portandam totã Deitatis gloriam Angelica exhortatione roborari. Tu autem Dñe, &c.

℟. Fælix namq; es Sacra Virgo Maria, & omni laude digniſſima: ✠ Quia ex te ortus eſt Sol iuſtitiæ, Chriſtus Deus noſter.

℣. Ora pro populo, interueni pro Clero, intercede pro deuoto fœmineo ſexu: Sentiant omnes tuum iuuamen, quicumque celebrant tuam ſanctam commemorationem. Quia ex te.

Lectio viij.

DEnique ne tanto põderi cæleſtis fabricæ in Maria ſubtilis noſtri corporis arena ſuccumberet, & in Virgine totius generis humani portatura fructum virga tenuis frangeretur, fugatura metũ vox Angeli mox præceſſit, dicens: Ne timeas Maria. Ante cauſam dignitas Virginis annunciatur ex

Nomi-

Nomine; Nam Maria hebræo sermone latinè Domina nuncupatur: Vocat ergo Angelus Dominã, vt Dominatoris Genitricem trepidatio deserat seruitutis, quam nasci, & vocari Dominam ipsa sui germinis fecit, & impetrauit, auctoritas. Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam. Verum est, quia qui inuenit gratiam, nescit timere: Inuenisti gratiam. Tu autem, &c.

℟. Beatam me dicent omnes generationes: * Quia fecit mihi Dominus magna, qui potens est: * Et sanctum Nomen eius.

℣. Et misericordia ei9 à progenie in progenies timentibus eum. Quia fecit. Gloria Patri. Et sanctum.

Lectio jx.

De Homil. Dominicæ occurrentis.

Si autem idem Officium, iuxta rubricas Breuiarij Romani transferẽdum sit; nona Lectio sumatur eo anno ex Officio Beatæ Mariæ in Sabbatho mensis Septembr.

Ad Laudes, & per Horas.

Ant. Dum esset Rex, &c. *cum reliquis, vt in Officio S. Mariæ in Sabbatho.*

Capitulum.

Ab initio, &c.

Hymnus,

O Gloriosa, &c.

℣. Diffusa est gratia in labijs tuis.

℟. Propterea benedixit te De9 in æternũ.

Ad Benedictus.

Beata es Maria, quæ credidisti; perficientur in te, quæ dicta sunt tibi à Domino Allel.

Oratio. Concede quæsumus, &c. *vt supra.*

Ad Horas Antiphonæ Capitula, & Responsoria breuia. vt in Officio Beatæ Mariæ in Sabbatho.

Ora-

Oratio vt sup. Cōcede quæsumus, omnipotēs Deus &c.

Rubrica apponenda in Breuiario Romano post Officium in die Natiuitatis B. V. Mariæ.

Die Dominica infra Octauam Officium de Sanctissimo Nomine Beatæ Virginis Mariæ.

Verba apponenda in Kalendario Breuiarij Romani post diem 8. Septembris,

Natiuitas B. Mariæ Virginis, &c.

Dominica infra Octauam Festum Sanctissimi Nominis Beatæ Mariæ Virginis.

In Tabella vero, in qua enumerantur duplicia 1. & 2. Classis, &c. in Rubrica duplicium maiorum per annum post verbum Conceptio.

addatur Festum Nominis.

CVm Sanctiss. D. N. D. Innocentius Papa XI. de cōsilio Eminentissimorum DD. Cardinaliū Sac. Rit. Congr. prepositorū habita die 20. Nouembris 1683. præceperit, vt festū Nominis Beatiss. Virg. Mariæ, quod iam in plerisq; Ecclesijs die 17. Septembris cum Officio, & Missa ex Indulto Apostolico hactenus celebratū est, in posterū in memoriā insignis Victoriæ ab armis Christianis de Turcis reportatæ, & Ciuitatis Viennæ in Austria ab arctissima obsidione solutæ, celebrari debeat Dnica infra Octauā Natiuitatis eiusdē B. Virg. sub ritu duplici maiori quotānis in Ecclesia Vniuersali ab omnibus vtriusq; sexus Christifidelibus tam Secularibus, quā Regularib⁹, qui ad horas Canonicas tenētur, cū Officio proprio, & Missa ab eadem Sac. Congr. approbādis. Eadem sacra Cōgregatio habita die 4. Decēb. proximè præteriti suprascriptū Officiū propriū Nominis B. V. M. vt iacet, diligēter, atq; accuratè reuisum, & relatū ab Eminētiss. & Reuer. D. Card. Casanate approbauit; Et demū idē Officiū sic vt præfertur, publicari, & in Breuiarijs in futurū edendis, cum ijsdē rubricis imprimi mandauit. Hac die 5. Febr. 1684.

N. Card. Ludouisius.

Locus † Sigilli.

Bernardinus Casalius Sacr. Rit. Congr. Secr.